

39-

## ASSERTIO II.

Sex vulgò dictæ conditiones Sapien-  
tiæ utrumque manifestè arguunt, quæ  
ita cohærent, ut ex prima reliquæ dedu-  
ci possint.

§. 1. Qualis sit illa scientia, quam Sapienciam appel-  
lamus, circa quæ versetur, & utrum una illa sit, an verò  
plures, ut adhuc intelligatur meliùs, sex communes o-  
piniones, quæ de Sapiencia habentur, ab Aristotele re-  
censentur, lib. 1. Met. c. 2. ita collecturo: Si omnes  
opinionēs, quæ de Sapiente habentur, in unam cadunt  
scientiam una erit Sapiencia, sin minus, plures erunt.

§. 2. Est autem *prima* de Sapiente opinio quod ille omnia  
sciat, à Sapiente siquidem omnium rerum cognitionem requirere  
solemus, sed non in particulari, sufficit enim in universa-  
li, quamvis utraq; cognitio conjuncta procul dubio sit  
melior quia v. Scire est rem per causam cognoscere, is  
maximè in universali omnia sciet, qui primas & com-  
munissimas rerum causas & principia cognoscet, non  
dimittens se ad ad particulares rerum rationes.

§. 3. *Secunda* opinio de Sapiente est, ipsum scire ea, quæ  
hominibus sunt cognitu difficillima, de difficillimis enim Sapien-  
tiorē consulere consuevimus. Jam verò quæ sensui sunt  
obvia, illa sunt facillima, & talis cognitio omnibus ho-  
minibus, nisi aliquo sensu careant, est communis, quæ  
verò à sensu sunt remotissima, illorum scientia paucif-  
simis competet, & talia erunt omnium difficillima.  
Sensui autem obvia sunt effectus, singularia & quidem  
mobilia. Causæ itaq; primæ & communissimæ erunt remotis-  
simæ,